

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Icones sive imagines virorum literis illustrium

Reusner, Nikolaus

Argentorati, 1587

Ioannes Draconnites

[urn:nbn:de:bsz:31-271751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-271751)

IOANNES DRACONITES
Theologus.



*Tam benè tot linguis apto dum Biblia sancta,
Heu morior. morior? nunc quoque viuo Deo.*

M. D. LXVI.

IOANNES DRACONITES

Caroloſtadius Francus:

Primo ætatis ſuæ tempore in ſtudijs literarum
& doctrinæ Erfordiæ conſumpto:
Quas eodem in loco, honores adeptus ſchola-
ſticos, aliquandiu publicè & priuatim
cum laude docuit:

Sacros. Theol. Doctor Vitebergæ renunciatus:
Poſt Marpurgi: deinceps Roſtochij ſa-
cras profeſſus literas:

De hinc Sambienſis Eccleſiæ Præſul
conſtitutus:

Inde Vitebergam reſreſſus, opus Biblicum
quintuplex, ad inſtar celebratæ illius monu-
mentis veterum Origenis operæ, ut & alterius
recentioris Complutenſis, ani-
mo agitans:

Cuius ſpecimen in medio reliquit ſanè egre-
gium, & poſteris admirandum:

Inter pios & ſanctos conatus, vir optimus, &
doctiſſimus, ac in primis lingue Hebrææ, Chal-
dææ Græcæ, Latinæ, præter vernaculam,
peritiſſimus, è vita euo-
catus:

Magno Reip. & Eccleſiæ cum detrimento.
Obijt Vitebergæ maior Septuagenario, anno
Sal. M. D. LXXVI. XIII. Aprilis,

IN IOANNEM DRACONITEM

Theol. Acad. Marburg.

EPIGRAMMATA.

H. EOBANI HESSI.

Postquam est aperta, & explicata veritas
Per scripta Christiana, per verbum Dei:
Vt ipsius vel è media plebe infimi
Mysteriorum conscij, nil ambigant:
Quin constet Antichristidos regnum scholæ
Venisse in ista, & perdidisse tempora:
Quid ni fateamur Antichriston impium
Exterminandum Christianis omnibus,
Ac persequendum Christianis omnibus
Constante veritate, scripturâ, fide:
Ne pergat vltra Christianos fallere
Tyrannicâ crudelitate & fraudibus.
Si fortè quæris illius potentiam
Nouisse, plus quàm regiam potentiam,
Auctoritate quæ sit ad verbum Dei,
Quod ipse deprauarit improbissime,
Et plura eodem scripta pertinentia:
Hæc cerne scripta, quæ Draconites tibi,
Sed scripta pauca, at erudita condidit:
Quæ Christiana veritatis maximam
Partem, scopumq; persequendum continent.

GEORGH FABRICII.

*Vrna Draconiten tegit hæc doctumq; bonumq;
Laudatumq; piâ sedulitate senem.
Ille sacros libros Ebræa, Latina, Pelasga,
Chaldaea, in vulgus scripta daturus erat:
Nondum finito quem linquit vita labore:
Quanta vnus studijs facta ruina senex!*

P. MELISSI.

*Hos cineres, hæc busta Fides innoxia seruat,
Dulcisq; Spes & Caritas:
Filie Iouis inclyti, sorores.
Prima sacras lauri frondes, at proxima palma
Spargit virentis ramulos:
Mitis vltima gemmulas oliuæ.
Salue care senex: tu nunc quasi stellula fulges
Celso nitens in æthere:
Hoc tui precium laboris esto.*

GVI-